



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Dvb. 1. Vtrùm iudiciu[m] sit actus iustitiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

SECTIO QUARTA.
DE INIURIIS
IN IUDICIIS.

SEQVITVR *vt dicamus de iniuriis, quæ in Iudiciis committi solent. In quibus tres personæ spectantur, Iudex, Accusator, & Reus: accusatori iungitur testis, reo aduocatus. Itaque hanc sectionem diuidemus in tria capita: Primum erit de Iudice. Secundum, de accusatore & teste. Tertium, de reo & aduocato.*

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

De Iudice.

Constat Dubitationibus 18.

DVBITATIO PRIMA.

Virum Iudicium sit actus Iustitiæ. D.Thomas q.60.art.1.

¹
Iudicium
quid.



NOTANDVM est, nomen *Iudicij* potissimum duobus modis accipi. Primò, Generatim, pro sententia animi vera vel falsa, de quamque re ea sit. sic distinguitur contra *apprehensionem* nudam, in qua non est veritas vel falsitas. nec per se est actus virtutis, sed potentia intellectiua, componentis, vel diuidentis suos conceptus.

² Secundò, Strictè, pro determinatione Iuris, facta per Iudicem, id est, pro sententia Iudicis externus prolata, qua in controuersis contractuum, delictorum, alijsve Iuris quæstionibus definit quid cui sit debitum; hoc enim propriè vocatur *Iudicium*, quasi *Iuris dictio*. Hinc extenditur ad significandum totum illum actum & causæ discussionem, quæ in tribunalibus fieri solet, per quam Iudex disponitur, vt iustam sententiam ferre possit.

³ Hoc modo est quidem actus elicited a scientia Iuris; tamen est etiam actus iustitiæ, idque duplici ratione. Primò, Tamquam causæ dispositiua; quia iustitiæ affectus inclinatur Iudicem vt velit sententiam iustam ferre, ac proinde incitat eum, vt quam diligentissimè causam examinet; deinde occulta quadam consensione facit, vt ea quæ iusta sunt, etiam iusta illi videantur. quisque enim iudicat secundum suos affectus. affectus enim facit, vt res intellectui videatur conueniens & amplectenda. Itaque affectus iustitiæ facit, vt id quod iustum est, intellectui Iudicis appareat bonum & amplectendum. Simili modo affectus temperantiæ facit opera temperata videri pulchra, & conuenientia homini; & fortitudo, opera fortia, siue illa exterius cernantur, siue sola imaginatione comprehendantur. Iuxta hunc modum, rectum iudicium de obiecto vel opere cuiusque virtutis

procedere dicitur ex eadem virtute. vide supra lib.1.cap.1.dub.4.

Secundò, Est actus iustitiæ, tamquam causæ præcipientis & obligantis; iustitia enim imperat actum iudicij, & Iudicem ad eum obligat, sicut debitorem obligat ad solutionem debiti: quia ex officio debet hoc partibus; idè enim stipendia accipit. hoc modo iudicium propriè ad iustitiam pertinet, vt quoddam obiectum iustitiæ, & actus externus necessarius, sine quo iustitia in Iudice esse nequit; sicut reddere cuique suum, est actus iustitiæ in genere.

DVBITATIO II.

Vtrum iudicium temerarium, sit peccatum mortiferum.

D.Thomas quæst. 60. art. 3.

Notandum est Primò, *Iudicium temerarium*, dicitur, quod de alicuius peccato, aliòve infami malo ex leuibus indicij concipitur. quod enim ex iustis seu sufficientibus causis concipitur, non est temerarium, sed rationi consonum. vt si iudices aliquem impurum, quod in tenebris sæpius eum videris loca impura frequentantem; si hæreticum, quod Mistæ sacrificium rideat; si iniustum, quod vfuras exigit. Fit autem hoc iudicium vel de internis, vel de externis, quorum auctor est occultus; vel de futuris, vt hunc fore furem, vel numquam emendandum, vt colligitur ex D. Augustino l. 2. de Sermone Domini in monte, cap. 28. & S. Basilio in Regul. breuior. interrog. 164.

Notandum Secundò, D. Thomam distinguere tres gradus suspicionis, vel iudicij temerarij.

Primus est, *Cum homo ex leuibus indicij de bonitate alicuius dubitare incipit.* Tres gradus suspicionis.

Secundus est, *Cum pro certo malitiam alterius æstimat ex leuibus indicij.*

Tertius